

X 1903357

II n
3880

Q. F. F. Q. S.

HISTORIA MEDIA
LVBECENSIS

AB ANNO M CCXXVII.
AD ANNVM M CCC.

Quam
PRÆSIDE

CASPARE SAGITTARIO

HIST. P. P. O.

Eruditorum Examini

exponit

JACOBVS A MELLE
LVBECENSIS.

AD DIEM XX. APRILIS MDCLXXVIII.

J E N Æ

TYPIS GOLLNERIANIS.



V I R O
MAGNIFICO, PRAENOBILISSIMO. AMPLIS-
SIMO. CONSULTISSIMO
DN. JOHANNI. RITTERO
JCTO. EXCELLENTISSIMO. SACRI. PALATII. CAE-
SAREI. COMITI
REIPUBLICAE. LVBECENSIS
CONSULI. PRIMARIO
PATRONO. MEO. MAXIMO

IN concinnandis Rebus Patriis ad illa demum tempora devenio, quo-
rum fama atque splendor juvenilem curam superant, marmor traden-
da potius quam charta. Cogor hic fateri, VIR MAGNIFICE, quod res est:
Solem pingo carbonibus, humili voce id exprimere contendens, cui
gravis non sufficit dictio. Animum addit fiducia haec, quod, si thu-
ra desint, vel mola falsa litare nemini unquam sit versum vitio. Ne-
que enim heroum laudes vel penicilli imposita obscurat, vel marmoris
etiam vilitas deterit. Illustrissimae res gestae sua luce ita radiant, ut ora-
tionem illustrent potius, quam splendorem ab ea mutuare habeant ne-
cessum. Eadem, VIR SUMME, ut de tertio hoc partu meo sentias, cun-
demque TVO praesidio ornatum tuare contra illos, qui minora for-
san expectatione sua istic reperiri putant, etiam contendere volui
atque etiam. Implorans quoque patrocini TVI fervorem, quem ha-
cenus expertus est

TVVS

VIR MAGNIFICE

Humilimus Client

JACOBUS A. MELLENZ





HISTORIAE MEDIAE
LVBECENSIS
AB ANNO CI^oCCXXVII.

CAPVT I.

DE

MARINA LVBECEN-
SIVM CONTRA DANOS
VICTORIA ET NONNVLLIS ALIIS.

SVMMARIVM.

§. I. Lubeca Imperii Romano - Germanici dominium per-
placet. II. Dani spem recuperandi Urbem non
abjecerunt. III. Adolphus Comes cum Patria mea
litigat de ejus possessione. Ad arma res devenit, ubi
Regem Daniae habet socium Adolphus. IV. Mari
urbem aggrediuntur. Waldemarus Daniae Rex ob-
struit portum, & mox catena claudit. V. Sed in-
cassum. VI. Lubecenses Danorum naves in ore
Warnaviae superant. VII. Bertoldus Episcopus Lu-
becensis moritur, Succedit Johannes. Lubeca aggere
munitur.

A

§. I. Ex-



§. I,



Extulerat caput LVBECA sub augusto regimine Germanico : & solverat vota, fortunante DEO, comite virtute nunquam in alienas manus relabendi. Ita placuit Civitati clementissimum Friderici Imperium, non abs re præfaga mente prævidenti, incrementa quot ac quanta successoribus foret debitura.

§. II. Nondum abjecerant Dani recuperandæ Urbis desiderium, nec ipsum Bornhövedense prælium spem omnem illis eripuerat. Waldemarus sane perditus ac pernox id agebat, ut tam nobile pignus regno postliminio restitueret. Adolphi Comititis, cui forte lites cum Lubecensibus intercedebant, opera hac in re decrevit uti, non immerito existimans, amisso tam nobili præsidio, res Lubecenses non parum iri imminutum.

§. III. Adolphus, allatis in medium antiquis literarum monumentis urbem suo solo sitam in majorum manu fuisse; eandem jure hereditario ad se devolutam; se Vrbi legitimum dominum asseverabat. Imprimis vero operam in profligandis Waldemari copiis Lubecensibus navatam extollens, non potiori remunerandam statuebat præmio, quam ipsa civium subjectione & oblato civitatis imperio, quod sibi maxime etiam ideo deberi pertendebat, dum extremo vitæ discrimini se exponens care idem emerit. Contra Lubecenses: Abolitam Avi ac Patris dominationem utriusque Friderici Imperatorum privilegiis, ac ipsum sero nimis ad prisca hæc longoque usu extincta recurrere. Vtrinque varii sermones cæsi, cumque verbis recipere irritum, rem armis experiri voluit Adolphus. Promptum ad hæc socium habebat Regem Daniæ, nihil magis optantem, quam prætextum aliquem, quo insultare Vrbi commodius liceret,

§. IV,

§. IV. Terra rem aggredi deterrebat expertos
Lubecensium sociorumq; virtus imperterrita: hinc alia
via opus, maritima videlicet. Neq; tamen plane defuit
terrestris miles, quem ex Jutia emigrare Waldemarus
jusserat. Ad Travam figebat pedem Rex Daniæ, & ex-
structis ad utramque ripam duobus propugnaculis, ri-
mosa navi lapidibus onusta in fluvium demersa ob-
struere tentabat fundum, coque & navigationi & mer-
caturæ Lubecensi obicem opponere. Sed ars delusa
arte, & oppidani corrupto veteri meatu, novam trans-
mittendi flumen investigarunt inveneruntque viam.
Id ad aliud strategema Waldemarum compulit. Nam
protensa per transversum flumen quam late patet cate-
na, palisque in utroque littore firmata omnem omni-
no introitum exitumq; navibus præcludere laborabat.

§. V. Sic visæ Lubecensium copiarum in angustias
reductæ, ac nisi DEUS *ὁ πῶς μνηστῆρς* desperatis rebus
succurreret, extrema credebantur imminere. At quæ
semper Lubecam meam respexit, hic denique luculen-
tissimo documento eluxit divina providentia. Ex ce-
lebri Livoniæ Vrbe Revalia (hanc enim exprimunt
Chronica Holsatica & Pontanus) onerariæ naves tur-
gidis secundo vento velis advolantes maximo impetu
allisæ huic catenæ metallum pernicioso incude in Lu-
becenses culum facile perfregerunt. Summi id instar
beneficii, & dignum sane, quod remissione vectigalis,
aliisque privilegiis rependeretur. Hanc classem ex
Prussiæ oppido Melvinga adventasse asserit Recman-
nus Lubecensi Chronico: Krantzius in alia abit. E-
jusdem Recmanni computo xxx. post anno istud acci- 1230.
dit, quod MSS. Fasti ad clcccxxxiv. referunt, Pontanus
ad clcccxxxvii.

§. VI. Totus ob id in fermento erat Waldema-
rus, postquam, ut est in proverbio, oleum operamque
omnem perdidisset. Reversus igitur in Daniam octo na-
ves bellicas eximia magnitudinis instruxit, quibuscū

EVOD

A 2

vcl

1235. vel Travam obsideret, vel ipsam Lubecam oppugna-
ret. Has junctis minoribus nonnullis anno clo-
cexxxv. in Travam emittebat. Tum Lubecenses freti
causæ bonitate, sex navibus, sed quæ Regiis longe mi-
nores, adversam classem aggredi, faustumq; rerum suc-
cessum non dubitabant sibi polliceri. Ex quo audiit
Waldemarum (contrario vento ad Femariam insulam
repulsus) appropinquare Lubecenses, ad Warnoviam
fluvium recedere putavit tutius, quam aperto Marte
manus conferendo dubiæ alex tantam rem committe-
re. Hoc erat ex Charybdi ad Scyllam delabi. *Detecta
res est Wandalis* (ita refert Krantzius Wandaliæ lib. VII.
cap. XIV.) *qui tum Rostokium tenuere cum conterminis lo-
cis, esse Danos (publicos Wandalorum hostes) in eorum portu.
Quantis potuere viribus, duxere in Danos. Lubecenses a ma-
ri perurgent. Ita in utrorumque medio Dani coangustati pu-
gnaverunt, & multis ante amissis residui sibi fuga consuluerunt.*
Prælium per integrum diem extractum, quinque ma-
joribus navibus captis & exustis, ceteris demersis: ex-
cepta una præ reliquis insigni, quam cum quadringen-
tis militibus in potestatem redactam in triumphum Lu-
becam deduxere.

1235. §. VII. Eo ipso anno quinto & trigésimo post millefi-
mum ducentésimū (pro Bonni & Reemanni computo;
Chronicon Slavorum cloccxxxvii. supputat) Episco-
pus Lubecensis Bertoldus de vita decedens successo-
rem accepit Johannem Decanum. Hic post dedica-
tionem ecclesiæ Reinfeldensis monasterii, *memorabilem
instituit memoriam Dominice Cœne, relinquens pecuniam pro
vino, pane, & cerevisia.* Quod quia Slavorum Chroni-
con, ac Krantzius Metropoleos lib. VII. cap. XLVII:
memoriæ prodidit, nos quoque duximus tangendum.
Sub hujus Episcopi regimine, cum maritima loca Bar-
barorum per Livoniam & vicinas terras tumultuan-
tium terrore moverentur, etiam Lubeca sibi timuit, ne
per oceanum prædas agendo Litvani, Tatarum (& ipsos
nova

nova tum molitos ferunt) aliaque ejusdem farinae gentes, in Wagriam Nordalbingiamque penetrarent. Itaque Lubecenses rebus optime compositis, urbem ipsam valido aggere cinxerunt, maxime ea parte, quae Holsatiam (sive rectius ut MS. meum habet, Meklenburgum) spectabat.

CAPVT II.

DE

ERICI DANIAE REGIS CVM LVBECENSIBVS BELLO ET ALIIS.

SVMMARIVM.

§. I. Adolphus IV. Holsatiae Comes in Monasterium secedit, filiis Abele Principe tutore dato. II. Abel Erico Daniae Regi resistit, ne Holsatiam aliasque regiones abripiat. Ericus Lubecensium mercatores retinet. Sed Hafniam invadunt Lubecenses, ibidem castellum destruentes. III. Ericus denuo aggreditur Lubecam, at his egressis inducias firmat. IV. Rex Dania cum fratribus bello colliditur. Canutum captum Lubecenses liberant, & per Daniam praedas agunt. V. Lubeca excedunt Monachi Benedictini Cismariam. Coenobium Virginibus religiosis traditur. VI. Johannes Episcopus Lubecensis obit. VII. Cum Clerus dissentiret in successore, Albertus Rigensis Episcopus interim sufficitur, Vir prudentissimus.

§. I.

Fortia Adolphi IV. Holsatiae Comitis gesta literariae luci restituta laudavimus: restat ut lustremus, quanto pro temporibus illis zelo acius heros sagum cum monastico cucullo permutaverit. Anno nimirum clō. 1239.

A 3

CCXXXIX.

ccxxxix. Hamburgi Fratrum Minorum sese mancipavit sodalitia, filiis tribus, Johanne, Gerharo ac Lothario generi Abelis Slesvicensis Ducis tutelæ creditis. Romam nudipes profectus ab Innocentio IV. Papa indulgentiam impetravit sacros ordines suscipiendi: quod, quia (ut Scriptura loquitur) fuerat Vir sanguinum, alicui difficultati videbatur obnoxium. Itaque a Romano itinere redux per Lubecensem Episcopum Johannem presbyter renunciatus eodem fervore preces ac reliqua sacra obiit, quam olim arma tractaverat.

§. II. Hic Abel cum singulari fide curam agens pupillorum, resistebat Erico fratri Daniæ Regi (qui patri Waldemaro anno clocxli. successerat) ne Nordalbingiam, Holsatiam, Wagriam, Stormariamque regiones Comitibus Juvenibus ereptas Regno Daniæ conjungeret. Affinitatis jura naturæ necessitudini in Abele præposita Pontanus deprædicat. Ericus per literas monebat Abelem, ut in suas partes abiret: sed justum & tenacem propositi virum offendebat. Nilominus interim Rex Daniæ augendi imperii initium, & quidem a Lubecensibus nostris faciebat. Horum mercatores in Scania piscaturæ operam navantes anno clocxlii. ab Erico sunt retenti, ut essent instar obsidum, eoque facilius urbem recuperaret. At classe bellica instructi Lubecenses, quos præter Gerhardum Bremensem Archiepiscopum, ac Gunzelinum Sverini Comitem socios legerat Abel, ipsum Regni caput Hafniam petunt, castello ibidem destructo, opimaque præda onusti revertuntur. Fatetur ipse Pontanus Rerum Danicarum libro VII. Abelem, *in societatem tractis Lubecensibus, eos ad classem in oras regni penitiores mittendam incitasse, ac monuisse agi de eorum non minus, quam sua libertate, quam frater suus diminutam cuperet. Nec e re fore vires ejus ac potentiam ulterius crescere, quamvis in eo esset, ut omnia que Pater Waldemarus possedisset, ad Regni Daniæ obsequium reduceret,*

§. III.

§. III. Redintegrata tamen inter Fratres gratia, evocatis e Gallia (quo concesserant studiorum majorisque cultus gratia) Comitibus Holsatiae, Adolphi filiiis, paternae regiones sunt distributae. Sed non tam firma potuit vulnere obduci citratrix, ne post breve tempus recrudesceret. Anno clcccxlvi. Ericus, ut se^{1246.} adversus Lubecenses ulcisceretur, (Pontanum loquentem audis Lector) cum ob perfidiam, qua olim erga Regem Waldemarum parentem ejus usi fuissent, tum quod nuperrime in oras suas immissa classe, regno cladem intulissent, nec pactis conventis, quae inter se & Abelem fratrem erant inita, fuissent comprehensi, eos intra suas sibi ditiones, & per manus injectionem, ubicunque dabatur, naves ipsorum teneri mandavit. Classem quoque Trava flumini immisit, & utrinque facto munimento comitatus eos intercludere satagit. Sed illi ex adverso per Balthicum mare evagati, quaqua poterant, Dania oras infestabant. Accedebat & Holsatus, qui suo patrocinio tutandos eos suscipiens etiam Bremensis Episcopi auxilia suis eorumque copiis conjunxit. Cum Ericus videret sibi obviam ire ausos, quos ceu mediocrem bolum deglutire tentaverat, induciis pacis arma nonnihil deponebat.

§. IV. Sed ut erat inconstantis animi, sequente clcccxlvii. anno fratres suos Ducatus atque praefe-^{1247.} turas a parente Waldemaro acceptas, tanquam clientelares a se jubebat suscipere. Quod cum negarent Principes, res confestim ad arma rediit. Abel aggressus Fioniam, Ottonia metropoli exusta, Svineburgum, quod hereditario tenebat jure, muniit praesidio. Sed idem expugnatum Ericus flammis dedit: captumque Canutum fratrem Blekingiae Ducem in Stegeni castro detinuit captivum. Hunc Lubecensium classis, quae sub Ducatu Alexandri a Soltvedel, postea Senatoria dignitate ornati, a partibus Abelis militabat, in libertatem restituit, obsessio aliquamdiu direptoque Stegenium castello. Ita cuncta praedis ac incendiis miscabant Lubecensium copiae, cum inter illa Canutus & Chri-

Christophorus Abelis fratres terrestribus per Jutiam expeditionibus Erico incommodarent. Captæ tum binæ Erici Regis filix, quibus redditis pax quoque reddita provinciis, at brevi proh dolor ! ruptura.

1247. §. V. Eodem anno clocclvii. Monachi Benedictini cœnobium Johanni sacrum Lubecæ deserentes, ulterius in Wagriam profecti, Cismariam monasterium noviter fundatum inhabitare cœperunt. Paulum Langium in Chronico Citizenſi de eo audiemus : *Eodem anno Abbatia ordinis divi Patris nostri Benedicti ex urbe Lubeka in Cismariam translata est, ad sex milliaria a littore intra mare Balticum : cujus monachi nunc reformati sub institutione sive unione Bursfeldensi militant Altissimo.* Causam addit Slavorum Chronicon, quod scilicet non poterant cum civitate concordare. Krantzius disertius explicans, etiam Cismariæ etymon subjungit : *Fratres ordinis divi Benedicti Lubica commorantes cum in urbe apud concilium civitatis non satis pro arbitrio suo sinerentur agere, egrediendo & ingrediendo urbem, mane ac vesperi, die ac nocte, a suæ libertatibus, quas per sylvas, saltus, montes, ac per nemora habitantes in ordine suo tenent, in Wagriam contendunt, ex edificato monasterio ad maris littora. Cismariam dixerunt, a loco nomen mutuantes, quod cis maria habitarent.* Mox deserto eorum intra urbem Lubicam monasterio, moniales sunt introductæ ordinis Cisterciensis. Wandaliæ lib. VII. cap. XIII. Idem absque ullo furo prodit Hermannus Bonus Lubecensî Chronico : *Monachi Benedictini Cismariam profecti sunt, atque monasterium ibi exstruxerunt, quandoquidem Lubecenses ob turpem eorum vitam & pravam religionis suæ administrationem in cœnobio Divi Johannis ultra ferre noluerunt, Vestalibus rursus introductis.* Vel in præsentem diem hoc monasterium habent Virgines, sub maxima ejusque comite (illam Dominam; hanc Priorem vocant) repurgatæ per D. Lutherum religionis exercitiis sedulo operatæ. In cujus monasterii atrio quod apud Johannem Schumacherum, antiquæ virtutis ac fidei virum,

rum, Scribam Coenobii, Excellentissimus DN. PRÆSES
per triennium non incommode vixerit, ut gratam hu-
jus mansionis memoriam repeterem, humaniter me
monuit.

§. VI. Ipso anno ccccxlvii. diem suum obiit 1247.
Johannes Lubecensis Episcopus. Male itaque Kran-
tzius Metropoleos lib. VII. cap. XLVII. ipsum XXII.
annis præfuisse asserit. Geminum errat errorem Sla-
vorum Chronicon, cujus tamen editio, quæ penes
me est, provida emendata manu alterum X. amisit,
postquam nonnemo lectorum dijudicavit, XII. saltem
annos Ecclesiam Lubecensem pædo Johannis sub-
fuisse.

§. VII. In successore Episcopo Johanni legendo
non convenerunt Lubecenses Canonici, variisque
moti causis nunc huc nunc illuc inclinarunt. Interim
ne grex pastore destitutus dilaberetur, Alberto, a Rigen-
sibus electo, sed non recepto Episcopo (is hoc tempore
commorabatur Lubecæ, Rigenesium molliora responsa
præstolatus) curam Ecclesiæ suæ, donec alius commu-
ni legeretur suffragio, pro tempore commiserunt. Lau-
dant nonnulli Scriptores Alberti virtutem ac pruden-
tiam, promptumque in expediendis rebus ingenium.
Feliciter enim composuit enatam Lubecensi Capitulo
cum Johanne & Gerharo Holsatiæ Comitibus litem
de decimis Aldenburghensibus. Præterea molendinum
Svartoviense aliaque Episcopatus præsidia addidit,
quæ recenset Krantzius Metropol.

lib. VIII, cap. X,

B

CAPVT



CAPVT III.
DE
PROGRESSV AC FINE
BELLI CVM ERICO REGE
INCENDIO LVBECENSI DEQVE
NONNVLIS ALIIS.

SVMMARIVM.

- §. I. Fratenum bellum recrudescit : Lubecenses Daniam vastant. Dux Christophorus Erico reconciliatur. II. Rex Danie Lubecensium classem ex improvise invadit : Naves quatuor capit. III. Abelem Ducatu Slesvicensi exiit : Qui per socios convocatos sedi sue restituitur. IV. Marchio Brandenburgicus & Dux Brunsvicensis fratrum discordiam componunt, Lubecensibus fœderi adjunctis. V. Dux Abel fratrem Ericum perfide occidi jubet. VI. Lubeca tertium conflagrat. VII. Lubecenses Stralesundam diruunt : Holsatis contra Christophorum Danie Regem operam ferunt. VIII. Alberto Episcopo succedit Johannes II. IX. Huic Johannes III.

§. I.

1248. **A**ppropinquante vere anni c^lo^ccxlviij. fraterna ista discordia reffloruit : & sane post resumptas vires otio, flamma hæc sævire coepit truculentius. Utraque pars in eo erat maxime, ut hostium vastaret provincias. Sic Lubecenses etiam secunda vice involantes Hafniæ aliisque Danie locis, quaqua licebat, Erico damna inferebant. Ita enim Pontanus : *Lubecenses eorumque fœderati terra marique, qua poterant, incenso præter cetera Hafniensium oppido (Haven appellat Erici Regis Chronicon)*

nicion) magnis passim incommotis regni incolas afficiebant. Cumque Vandalia Principes Erici Regis socii Holsatiae imminerent, par pari reddituri, ab Abele Principe, & Johanne Comite Holsatiae sunt remoti. Sed his in profligandis hostibus occupatis, Ericus subito Slesvicensem Ducatum aggreditur, & obviantem Christophorum fratrem capit. Inde Flensburgum consecrat Vulcano, late per Jutiam ita evagatus. Post hæc ne acerbus nimis erga fratres videretur, quorum binis compedes injecerat, Christophorum in partes suas pellectum seu coactum dimisit, Samborii Pomeraniae Ducis filiam Margaretam, & Femariae Insulae Praefecturam eidem pollicitus. Primum Christophori fidelitatis specimen erat, Ericum juvare in obruendis Holsatis, comitia Vapenveldiae (ita Pontanus) celebrantibus, quorum non exiguam manum in Daniam abduxit.

§. II. Interea Lubecenses longe lateque per Daniam agebant praedas, passim, quicquid obstabat, interneconi dantes. Quod cum audivisset Rex Ericus, versis statim velis domum petit, & classem Lubecensium in Oresundæ freto subsistentem illico & ex improvise invadit. Quis cum imparatis aliquantum pugnans, tandem eorum quatuor naves Danicis onustas praedis, in potestatem suam redigit. Recessere tum Lubecenses, sed animo damnum occasione proxima recpendendi.

§. III. Elatior statim ob victoriam Ericus, Femariam Holsatis creptam Christophoro fratri committit, Slesvicum quoque per Henricum Emeldorpium Rendesburgi praefectum, strategemate expugnat. Abelis filia tantum non nuda tum fuga sibi difficulter consuluit. Itaque Abel Ducatu suo privatus Bremam proficisci compulsus, ibidemque convocatorum sociorum opem sollicitare. *Erant hos inter (Pontanum denuo loquentem sisto) exceptis Holsatiae Comitibus Johanne & Gerbardo affinibus ejus, tum & Archiepiscopo Bremensi, Electus*

præterea Paderbornensium Præsul Simon, aliique Germania Principes, & qui ei fidelissimam semper operam navarant, Lubecenses. Hi comparatis extemplo haud exiguis copiis, ad recuperandum Slesvicum appropiarunt; repulsoque Erico, ac totam fere Jutiam populando pervagati, quæ auferre non poterant, ferro atque igne miscuere. Ita Duce suæ sedis restituto nonnihil insistentes fugienti Erico, cum idem Sialandicis, Fionicis, aliisque auctus auxiliis reverteretur, relato pede, ad sua quisque sunt regressi.

§. IV. At enim cum non ipsi modo fratres una cum sociis pertæsi essent bellicarum turbarum, & inauspicatæ discordiæ, sed & Principes exteri, & præcipue affinis Erici Johannes Brandenburgensis Marchio, & Albertus Dux Brunsvicensis locer Comitis Johannis per legatos & literas sedulo agerent de componendis fratrum dissidiis; ac ipsa Marchionis conjux Sophia, germana Erici Regis quantumvis gravida in Daniam iter faceret, coram cum fratre agendi gratia: tandem præsentem Lundensium Archi-Episcopo Vffone, aliisque Præsulibus ac regni consiliariis, ejusmodi inter fratres compositio est instituta, ut Abel retento Ducatu Jutiam Australem, utpote feudum & regni beneficium acciperet, fratremque dominum agnosceret: Et Canutus similiter ad præfecturam ac Comitatus suos regressus eos a Rege & Regno se tenere profiteretur; damna vero, quæ essent utrinque illata, singulis remitterent. Lubecenses mei, uti in gerendo bello non postremi fuerant, ita neque hic illorum non habita est ratio. Sic enim pergit Pontanus: Auxiliares quoque & fœderatæ ipsorum Holsatiæ Comites, nec non Lubecenses eisdem pactis comprehensi, singulique singulis quod esset per bella ereptum, restituerent. Hæc pax inter Ericum & Abelem, juramento, literis, & viginti utrinque obsidibus est firmata.

§. V. Fidum fuisse Abelem Principem in administranda Comitum sibi creditorum tutela, supra diximus. Huic virtuti quam turpiter remisit nuncium,
pro-

prolixus est in enarrando Pontanus Rerum Danicarum libro VII. dum scil. anno clæccL. datam fratri Erico Sles-1250. vici ipsum visitanti fidem, non modo non servavit, sed & abominando sese foedavit parricidio. Quod licet propriis manibus non peregerit, sufficit tamen data sceleratissimo transfugæ Lago Gudmundo, quid cum Rege actum vellet, sciscitanti, responsio: *Quod liber.* Hoc enim cum a Principe obtinisset Lago, vespera V. Idus Augusti Regem (cui vix ac ne vix sacrificulum peccatis remittendis concesserat) cymba in Sliam flumen ductum, ac securi capite truncatum, gravem compedibus alligatisque lapidum ponderibus, demersit unda. Sed ne occulta esset cædes nefaria (quam a se amoliti, Regem forte lembo everlo periisse mentiebantur) post binos menses evomuit flumen truncum capite, sed de tenui membrana cervici adhærente, cadaver: quod monachi excipientes terræ mandaverunt. Non effugerunt autem Gudmundus sociique ejusdem fursuris sero licet adventantem divinam pœnam. Neque Abel excidit prælagio moribundi fratris. Quamvis enim coronam Danicam effuso fratris sanguine sibi paraverit, haud diu tamen ea frui, neque sine cæde & sanguine ad generum Cereris ipsi datum descendere: de quo legendi sunt Pontanus, aliique rerum Danicarum Scriptores.

§. VI. Ad Lubecam nostram respicimus. Hanc, cum externos hostes partim armis partim foederibus sibi reconciliasset, domestica pressit miseria. Tertia enim vice, splendore suo feralis flamma Patriam meam exuit Junio mense, die Barnabæ, anno post mille ducentos primo & quinquagesimo. Quam adeo sæviisse 1251. accepimus, ut vel mediam urbem misere consumpserit. Ita namq; Chronicon Slavorum: *Anno Domini 1251. media urbis Lubicane incinerata est, in die Barnaba. Ideo constituit Consulatus, ut de cetero domus non de argilla, sed lateribus edificarentur, & sic Lubek primo facta est latericia.*



Hermannus Bonnus verbis sequentibus id exprimit :

M. liam fere Lubecum urbs sub hoc idem tempus igne vastata est, & confligata, ex quo cautum est, atque edictum, ne deinceps tecti nulla straminea in civitate haberentur, sed latericiis edificia tegerentur, ac muri lapidibus struerentur, ne ob ignem amplius tantus metus, tantumque malum expectandum esset. Hoc pacto, majoribus incrementis hæc fortuna materies fuit & origo: ut non firmiores modo sed & elegantiores ædes struerentur: quem nitorem in præsentia patria retinet, procul remotis tuguriis inducia calce luto vel stramini superbientibus.

1253. §. VII. Jamque invaluerat Lubeca de hostibus suis foris ipsam invadentibus sumendi poenas. Annus erat post ducentesium & millesimum tertius & quinquagesimus: quo experti sunt ultricem hanc manum Stralsundenses: qui cum mercaturæ Lubecensium infesti essent, urbem quoque suam a Lubecensibus expugnari atque dirui viderunt. Causam jamjam dictam non aperit Slavorum Chronicon, sed strictim recenset: quod *Cives Lubicenses expugnarunt, ceperunt ac spoliaverunt civitatem Sandensem, innumeros occidentes, ditiores vero captos ad Lubicanam deduxerunt urbem.* Bonnus accuratior est, dum addit, quod *Sundeni in Lubecenses negotiatores seu mercatores piraticam exercuerint.* Eodem anno Lubecenses Holsatis contra Christophorum Daniæ Regem, Abeli succedentem, militantibus opem tulisse, reperio. *Accesserat (inquit Pontanus) etiam Comitum (Holsatiæ) & Brandenburgicorum partibus Henricus Emeldorpius: iisdem se quoque Lubecenses junxerant, alieque in propinquo urbes Vandalicæ, quæ & classe armata Scanensium vicinumque littus infestum reddiderant, ut Rex domi circumquam impeditus occurrere Comitibus aut hosti externo haudquam passet.*

1254. §. VIII. Proximo, qui superiorem est secutus, anno quinquagesimo quarto post ducentesium supra millesimum, cum Albertus Episcopus in Livoniam esset

esset revocatus, Lubecensi Ecclesie praefectus est Johannes de Diest, Brabantia natus, Minorum addictus ordini, & olim Samlandiae seu Sambiensis Ecclesiae Episcopus. Fuerat hic Wilhelmi Germaniae Regis Capellanus, cujus petitioni clerus noster assurgens novo Episcopo se submitit. Optime de eo sentit Albertus Krantzius, cui audit *Magnus Theologus, & praedicator crucis solennis, prudens nihilominus pastor Ecclesiae*: At Bonno vocatur: *Acerrimus crucis & Romanarum indulgentiarum assertor & praeo*. Multum profuit Ecclesiae, reductis variis redditibus per lites cum Holsatiae Comitibus dilapidatis, & villas aliquot adjunxit. Insigne ejus opus hoc fertur, quod *instauravit in Ecclesia Lubicensi novam dignitatem Cantoriam, statuens, ut certis festivitibus cum argenteo baculo, cum socio similiter gerente baculum ejusdem formae, incedat, assignando ei certos redditus*. Krantzius Metrop. lib. VIII. cap. XVII. Memorabilibus suis hoc Wolfius inseruit, tomo secundo, quamvis ex argenteo baculum faciat aureum.

§. IX. Postquam per sexennium Johannes ad clavum Ecclesiae sedit, anno *CLCCCLX*. vita functus, ^{1260.} successorem accepit alium Johannem, nominis hujus III. cognomento Tralovium, Scholasticum Capituli Lubecensis. Hic Episcopus sedis Episcopalis Vthinae, ubi hodie floret, auctor quidem fuit, dum lapideam aedem ibidem exstruxit, sed inde multum aëris alieni conflavit, successori suo exsolvendum.

CAPVT

CAPVT IV.
DE
LVBECÆ
BELLO CVM JOHANNÈ
HOLSATO DIRVTA DERSOVIA INCEN-
DIO VRBIS ET LITE CVM LONGÆVO
EPISCOPO BURCHARDO ET
CANONICIS.

SVMMARIVM.

§. I. Johannes Holsatia Comes Lubeca captus e curia dilabi-
bitur. II. Lubecam infestat ; sed non impune.
III. Lubecenses arcem Dersoviam destruunt. IV. An-
nona caritas premit Patriam. V. Incendio Lubeca
deformata resurgit ornatior. VI. Burchardus Epi-
scopus succedit Johanni III. In ejus vitam longevam
inquiritur. VII. Clerus Lubecensis cum civitate li-
tigat. Eandem anathemato ferit, Vrbe expellitur,
Restituitur.

§. I.

1201.



Xeunte anno millesimo ducentesimo pri-
mo & sexagesimo Lubecam venit Johan-
nes Holsatiæ Comes, ad celebranda non-
tam Christi natalitia quam (qui mores ni-
mium invaluerant) Gentilium Saturna-
lia: quandoquidem & pars feriarum natalitiarum, &
has excipiens Innocentium dies omni luxu consumpta
ac libidine. Aderat tum miles quidam (quod nomen
ordini equestri datum) Burchardus Voet dictus, quem
Comes provincia expulerat. Hic cum obvium sibi
Comitem probris proscidisset, Johannes arrepto servi
sui gladio cum circa puteum, Mariæ virginis cœmite-
rio

rio confinem neci dedit. Meditatur fugam Comes: cum aufugere non posset, in Cathedrali Ecclesia per duos Senatores receptus in Curiam deductus est. Nihilominus clanculum evasit, & ope lintei (*manuterrium* appellat Chronicon Slavorum) e curia delapsus (non sine periculo tamen) suorum equis exceptus urbe evolavit. An hoc *non sine dissimulatione consulatus* factum (quod refert idem Chronicon) in medio relinquimus.

§. II. Libertati redditus Johannes Comes, postquam cum fratre, agnato suo Erico Slesvicensium Duci suppetias ferens de Danis triumpharat, adversus Lubecenses pellexit socios, eorundemque terras caedibus, praedis ac incendiis replevit. At hi commissis Alberto Brunsvicensi Principi copiis suis, ducto in Holsatiam milite Kilonium usque excurrerunt, & non nisi largiter sumpta de Comite vindicta sunt reversi.

§. III. Sequenti anno clocclxii. (quamvis & ad ^{1262.} praesentem annum nonnulli proximam historiam referant) ex Dorsovia arce Meklenburgica, sed Holsaticae ditionis (*Dassau* hodie) latrones in Lubecensium mercatores evagati non parum Patriae incommodabant, maxime cum praefectus arcis (Reemanno dictus *Schelle von Neuendorff*) eos foveret. Itaque stipati auxilio Johannis Meklenburgici, & filii ejus Henrici Lubecenses aggrediuntur hoc praedonum receptaculum, ac expugnatum solo aequant. Inde foedus cum Meklenburgensi Duce initum, quo concessum Lubecensibus latius piscaturam exercendi, ac simul promissum, ne unquam Lubecam inter & Comitum molam (*Grevesmøden*) aliquod propugnaculum erigeretur. Sed dignus est qui hac de re audiatur Krantziius Wandaliae libro VII. cap. XXXIII. *In terra Obotritorum (quae nunc Magnopolis est) per eam aetatem arx erat sita ad intimum maris sinum, qui de mari magno tractu terram ingreditur, & cui de mediterranea obvius fit rivus. Ad hunc sinum arx erat, Dorsovu illi nomen dedere: extat hodie oppidulum rusticum nomen re-*
C ferens.

ferens. Ea tum paruit Comitibus Holsatiae, incertum quo jure, armis capta, an ex foedere tradita, vel forte aere coempta. Habitatores & arcis custodes clam Comite receptavere (ut fit) publicorum itinerum insidiatores. Id non passus Johannes, Adolphi religiosi viri filius, Comes Wagriae, quum aliquando adequitans noxam deprehenderet, jussit arcis custodem publico judicio damnatum gladio caedi. Nec tamen illo cedente res factae sunt meliores. Cives autem Lubicenses earum rerum impatientes, cum Johanne Obotritorum Principe, quem tum pro consuetudine suae gentis Wandalica lingua Knese Janike appellavere. Aderat filius ejus Henricus. - - Pater & filius civibus Lubicensibus collocuti societatem oppugnationis in dictam arcem inierunt: junctisque armis & animis eam expugnaverunt, ac solo dejecerunt. Dederuntque Principes memorati civibus Lubicensibus privilegium, ut eo uterentur rivo ad aliquot millia a mari, supra oppidum memoratum, quodque nemo in perpetuum firmaret arcem aut praesidium ad ejus rivi utrinque ripas, & ad certos limites civitatis memorate.

1273. §. IV. Per integrum decennium de Lubeca mea apud Scriptores, quos haecenus videre contigit, altum est silentium, ad annum nempe *CLCCCLXXIII.* quo Lubecam tanta annonae caritate laborasse queruntur, ut aliqui fame sint enecti, & tritici modius V. assibus venerit, quod tamen sequenti aestate ad solidos X. diminutum.

1276. §. V. Ceterum afflictam maxime Lubecam accepimus sexto & septuagesimo hujus seculi XIII. anno, quo quarta vice truculenta flamma decora civitatis absorpsit: quod quidem incendium priora illa superasse Scriptores unanimi suffragio testantur. Exin hanc formam qua hodie nitet (quamque DEUS aeternum servet!) urbi inditam esse certum est. Ita Kranztius: Ex hoc autem novissimo incendio, eo quo nunc cernitur ordine instructam (Lubecam) compertum habemus, ut in longum velut per dorsum duae tendantur plateae, ex lateribus autem velut costae deriventur viculi, hinc ad Travenam fluvium,

vium, inde ad lacum Wokenissam, qui utrinque civitatis muros
alluunt tutanturque.

§. VI. Eodem anno Burchardus de Sercken ¹²⁷⁶
(alii habent Sarcken) ad clavum regiminis Ecclesiasti-
ci admotus, Johannique tertio successor datus est. Ca-
nonicus ac Cantor Lubecensis fuerat, jamque annos
natus octoginta: adeoque *monstri fuit simile & in terris*
rarum (ut cum Krantzio loquar) ipsum supra quadra-
ginta annos Ecclesiam rexisse, & centum ac viginti nu-
merasse ætatis suæ annos. Hinc igitur in eam prope
suspicionem dilabor, ac si Episcoporum unus, & for-
te Burchardus alius, per negligentiam Scriptorum se-
rie Episcopali exciderit. In quo confirmor magis,
postquam Illustrem Civem meum, & tam natalium
splendore, quam propria virtute ac edecumata doctri-
na Nobilissimum, Dominum Henricum Meibomium
in elegantissima *de Longavis* dissertatione Epistolica do-
mesticum hoc exemplum prætermisisse deprehendi.
Vtunque se res habeat, non utique otio nimium in-
dulsiſſe, sed variis laboribus ac præcipue expungen-
dis debitis vitam consumsiſſe ferunt. Iisdem ne ob-
rueretur, & novis porro parceret impensis, Franciam
intravit: quamvis præter expectationem in hoc iter
non exiguos sumtus feciſſe velint. Hermanno Bon-
no non adeo bene, & *homo singularis audacia, Civita-*
ti parum conferens, audit. Meliora Krantzius, qui
sollicite enumerat beneficia ab ipso præstita Ecclesiæ,
imprimis quando Civitas cum Clero dissentiret.

§. VII. Quarto statim Pontificatus sui anno
discordia insignis momenti inter ipsum & cives enata,
quos ob id anathematis fulmine percussit. Anno ni-
mirum *clccclxxx.* opulenta quædam vidua Lubecæ ^{1280.}
moriens exanime corpus in D. Catharinæ cœnobio
terræ mandari voluit. Quod cum parochus ceteri-
que sacerdotes diœcesi sua emittere nollent, clam fra-
tres cæſei illud e parochiali templo suffurati for-
nici

nici templi Cathariniani inclusere. Repetebant cadaver sacrificuli : quo negato cives a Monachorum partibus stantes excommunicationi reddebantur obnoxii. Sed irritata plebs omnem Canonicorum Clerique gregem una cum Burchardo urbe expulit. Quos licet nonnulli dicant sponte abiisse, major mihi tamen Slavorum Chronici auctoritas, cujus hæc sunt : *Anno Domini clccclxxx. expulsi sunt per communitatem Lubicensem Episcopus Borchardus & Canonici Lubicenses, pro eo quod interdictum posuit in civitate propter spolium commissum per fratres minores, qui funus cujusdam viduae, Rigborch diete, de Ecclesia parochiali per missam animarum violenter tulerunt.* Per aliquot annos duravere lites, Clericis interea Vthinæ vitam ducentibus : donec tandem Romæ ex decreto Pontificio per Cardinalem Jacobum de Columnis componeretur contentio, ac Clerus suis restitueretur cūriis.

CAPVT V.

DE

FOEDERE HANSICO ET CIVITATVM HANSI- CARVM CONTRA HAQVINVM NOR- VVEGIAE REGEM BELLO.

SVMMARIVM.

§. I. *Civitates Hansicae cum Haquino Norvvegiae Rege bello implicantur.* II. *Hac occasione de originibus Hansicæ foederis disquiritur.* III. *Etymon Hansæ.* IV. *Regula ortus tempora.* V. *Prima societatis incunabula.* VI. *Vera ætas ejus, & qua ratione enata.* VII. *Sociæ Civitates numerantur, quarum caput Lubeca.* VIII. *Quando paulatim ceperit imminui foedus Hansicum.*

IX

IX. Belli Hansici contra Haquinum progressus & exitus. Kranzii error. X. Hansicorum contra piratam Elingsonium expeditio.

§. I.

Nobilis est annus clocclxxxiv. bello civi- 1284.
tatum Hansicarum, contra Haquinum
Norvvegiæ Regem gesto, cujus expeditio-
nis (uti totius Hansæ) caput fuit Lubeca,
associatis sibi Hamburgensibus. Causam
subindicant recentiores, quod Haquinus *immunitates &*
privilegia Hansæ Teutonice concessa in Norvvegia anniteretur
retrahere & abolere.

§. II. Sed antea de his quam pertexamus telam
historiæ, mei arbitror officii, ad illa tempora respicere,
quibus & ortum, & incrementum debet foedus illud
Hansicum, ac nobilissima illa Germaniæ Civitatum
societas, singulari vocabulo Hansæ veniens: cujus
Lubeca mea princeps semper fuit & præcipua.

§. III. Mittimus statim incertas inutilesque Han-
sæ etymi investigationes. Sive enim a Gothorum
Hansis (id est, primaria nobilitate ac opulencia conspi-
cuis) vel Germanicis voculis an. See (i. e. ad mare) vel
ab *handeln*/vel a Teutonico *Hand*/velimus vocem deri-
vare; sive rectius Hansam foedus significare asseramus;
nobis certe in præsentem labor fuerit supervacaneus.

§. IV. Nucleum potius appetimus, hoc est, de
ipso foedere ejusdem primordiis, causisque erimus sol-
liciti. In antiquiora qui rejiciunt secula, ante condi-
tam etiam Lubecam, ceterasque urbes Vandalias cœ-
pisse volunt. Sed hos merito ridet *Savvâs*. Con-
ringius, *cumque Lubeca, que foederis una cum aliis Vanda-*
licis, que appellantur, Urbibus, caput semper audierit, non
potuisse profecto Societatis originem excurrere ultra ipsa earum
urbium primordia, egregie, ut omnia, perscribit Exercit.

de Urbibus Germanicis, §. xcv. Ineptit itidem (gratiam mihi faciant manes Viri pii, sed in doctrina non æque accurati, & accuratioribus infensi) Johannes Angelius Werdenhagen, quando se privilegia vidisse, anno 1694. huic societati concessa, blaterat. Plerique eo inclinant Scriptores, ut seculi decimi tertii exordium foederis Hansici initiis præfiniant: quo in Chytræum sequitur Thuanus lib. XXXIX. Ceterum, quando hæc societas instituta sit liberi maritimi commercii cum aliis provinciis & civitatibus gratia, cum τῶ πάλυ Conringio hic novus mihi injicitur scrupulus: nempe, non probabile esse urbes illas, Lubecam, Hamburgum aliasque eo tempore societatis hujus iniisse vincula, quo jugo Danico subsuerint, quod demum anno 1627. patriam excussisse supra declaravimus.

1241. §. V. Annum 1601. ortu hujus societatis insignem affirmant, Vir Amplissimus, Dominus Petrus Lambecius Originum Hamburgensium libro II. & Caspar Danckwertius Chorographiæ Slesvici & Holstatæ part. III. cap. VII. Tum enim memorabile foedus inter Lubecenses ac Hamburgenses contractum: id quod Hansæ Teutonicæ natales dedisse, per est verosimile. Argumentum foederis recenset Lambecius, ipsasque tabulas adhuc Thracigeri (vixit is sextodecimo seculo) ævo integras exstitisse affirmat. Sed specialis admodum videtur societatis illius ratio, & συμμαχίαν quandam referens; quam tamen Hansico foedere non respexisse civitates, sed commerciorum incrementum atque conservationem certum est: licet ex pacto singulari quasdam civitates in eam coisse pateat.

§. VI. Quicquid sit, hanc primam fuisse nobilissimi foederis ætatem, non omnino poterit negari: sed maxime coaluisse membra Hansæ loca circa sexagesimum post mille ducentos annum, caret omni dubio.

Pa.

Pace enim Lubecensibus cum Danis parata, post bellum quod cum Erico & Christophoro Daniæ Regibus gesserant, Lubeca cum aliis civitatibus in id incumbere cœpit sedulo, ut mutua mercium importatione & exportatione indigentiam quarumcunq; provinciarum sublevarent. Præcipue cum regna Septentrionalia certis abundarent rebus, quibus pro barbarie temporum vel uti incolæ nescirent, vel nostrates carere non possent; contra vero destituerentur iis, quas nostris agris mitius proferebat cœlum; nostrates rei nauticæ peritiores ipsis afferebant necessaria, enatas sub arctico sole merces reportantes. Hinc quatuor præ ceteris florentiora nata sunt emporia, quorum unum Bergis in Norvegia, alterum Novogardi seu Narvæ Russorum, tertium Londini Angliæ, quartum denique Brugis in Flandria locum habuere, Contoriorum nomen habentia. Postquam autem ceterorum flos & splendor vel paulatim imminutus, vel per dominos aliorum derivatus, mansit tamen Bergensi urbi sua gloria, ac æternum Hansæ decus heic manebit, spero.

§. VII. Convenere deinde in hanc societatem civitates plurimæ, quarum numerus apud Scriptores variat. Lubeca nostra caput est, & primarium in conventibus locum tenet: quam sequuntur civitates Vandalicæ, primæ videlicet foederis auctores. Ex Livonia, Prussia, Pomerania, Frisia, Bremensi Episcopatu, Westphalia, Saxonia, Ducatibus Brusvicensi & Lüneburgensi, aliisque, accedunt reliquæ, quarum numerum Jo. Angelus Werdenhagen ad CVIII. minus accurate extendit. Octoginta placent aliis, & quod ultra est. Sed neque hoc certo definiri poterit. Recesere enim sequioribus ævis haud paucæ sociarum. Anno tamen MCCCXCIV. septuaginta duas supersuisse quidam statuunt. Univerfus ille numerus in IV. diœceses seu metropoles divisus est, quæ peculiari nomine die *Quartier, Städte* dicuntur: suntque Lubeca,

becca, Colonia, Brunsvviga & Dantiscum. *Omnium principem tamen locum* (Illustris ait Conringius d.l.) *& auctoritatem Lubeca sortita est in originis memoriam.* Hæc etiam tabulariis Hansæ ac ærario communi, nec minus potestate indicendorum comitorum, & Lubecæ quidem celebrandorum, maxime est conspicua. Habita quidem sunt & in aliis urbibus Hansicis, sed non nisi volente, aut gravibus impedimentis implicita Lubeca.

§. VIII. Floruit hoc fœdus Hansicum ad seculum usque sextum decimum, quo sensim cœpit deficere, ita ut anno circiter sexagesimo post, animam prope agere visa fuerit. Adum quidem deinceps anno LXXI. de instauranda societate Hansica, & renovando civitatum fœdere, formula quoque fœderis nova in conventu proposita anno LXXIX. a paucis tamen in eam consensum. Aliæ leges fœderis anno MDCCIV. conscriptæ, nec minus strenue a nonnullis laboratum de societate reparanda, sed post tot etiam labores, magis magisque ad paucas urbes ingens illa olim societas, magno sane urbium damno contracta est. Ita fere utilissimi æq; ac splendidissimi hujus fœderis fata deplorat ὁ πρῶτος Conringius laudata de Urbibus Germaniæ Dissertatione.

§. IX. Sed revertar unde sum digressus, ad subortas Hansicis civitatibus cum Haquino Norwegorum Rege lites. Haquinus, qui recens successerat Patri Magno, cœperat infestare mercatores Hansicos, & indulta ab antecessoribus infringere privilegia. Aliquoties Procerum Hansæ monebatur literis, ne quid suis inferret detrimenti: Sed cum his parum proficerent, armis rem conficere decernebant. Itaque communi suffragio eo sese obstringebant, ne quid frumenti aliarumq; mercium importaretur Norwegiæ, ac insuper fretum Balthici maris, Sundam dictum, navibus bellicis claudentes, etiam peregrinis navibus Norwegiam intrandi prohibuerunt. Sat magnas Haquinus injuriæ mercato-

catoribus illatae dabant poenas, cujus regiones per famem ultima propemodum passae: & cogebatur Magni Sveciae Regis (Ericum vocat Lambecius) implorare auxilium, qui amica compositione litem sic finivit, ut confirmatis mercatorum Hansicorum in Norvvegia privilegiis, Haquinus certam pecuniae summam iis erogaret, qua damnum per has turbas perceptum reficerent. Ex Krantzii Norvvegia & MSto Chronico Hamburgensi hic Haquinus Cl. Lambecio Olaus audit: sed nos Pontanum sequimur auctorem, cujus fides domesticis firmata Scriptoribus, nescio annon Krantziana potior sit. Certe, si Pontanum audimus, *in Krantzii Norvvegia non error tantum, sed ingens praeterea historiae hiatus est, dum & Magnum & eius parentem filiumque Haquinum nusquam agnoscit.* Haquinum illum Daniae Regi Erico successisse dicunt auctores MSti, quod neutri sese parti adjunxerit praesenti discordia suborta, & hanc causam fuisse pronunciant, quod receperit fugitivos Erici parricidas, tutamen in Norwegia quærentes, & his potentior maritimas Daniae oras ac littora deprædatus fuerit.

§. X. Anno clccclxxxv. Vandalicis mercatoribus & Hansæ sociis etiam res fuit cum Adolpho Elingsonio, Norvvega, nobili pirata, & feri nomine notabili. De hoc Pontanus: *Hic non modo Danorum, sed & Frisiorum Theutonumque circumquaque littora infesta reddebat, ac magnis undique prædis actis Norvvegiam velut asylum habebat. In eum triginta circiter majora navigia, Coggones vocabant, suo impendio armaverant mercatores Vandalici. Sed illi dum Alþum circa Oresundam per aliquot septimanas præstolantur, ille Balticum sinum ingressus direptoque Callenburgo, munito admodum eo loci oppido, ac modo*

Danis modo Theutonibus direptis ad suos

spolia retulit.

D

CAPVT

12856

CAPVT VI.
DE
LVBECÆ
MORANTE PSEVDO-FRI-
DERICO EXPEDITIONIBVS IN LATRO-
NES NOVIS CVM CLERO LITIBVS ET
NONNVLIS ALIIS.

SVMMARIVM.

§. I. *Impostor Lubecæ pro Imperatore Friderico sese vendi-
tat. Agnitus avolat. II. Vandalici Principes cum
Lubecensibus fœdus ineunt. Mole aquatiles Lu-
becæ exstructæ. III. Aquarum exundatio Lu-
becæ noxia. IV. Lubecenses in Albertum Saxonie
Ducem militem ducunt: Prædonum receptacula in
Saxonia evertunt. V. Albertus Saxo civibus no-
stris Wakenissam & lacum vendit. VI. Clerus cum
Civitate de molis litigat. Urbs excommunicatur.
Episcopus Romam abit. VII. Præfectus Lubecensi-
um ad extirpandos latrones missus, sed proditus ho-
stibus, misere occumbit. VIII. Clerus Lubecensis de-
nuo cum civibus contendens, urbe exturbatur. Epi-
scopus alienam opem implorat. Lubecæ turribus mu-
nitur. IX. Patria meajus impetrat eudendi flore-
nos.*

§. I.

REvixit circa hæc tempora Fridericus se-
cundus Imperator, jam ante septem & tri-
ginta annos mortuus. Prodiit scilicet
ex Colonia in Westphaliam senex qui-
dam, Tile Kolup dictus, laudatum Impe-
ratorem mentitus, quem non mortuum, sed peregre
abiisse

abiisse blaterabat. Verum agnito nequam in rogo parabatur thronus, & ex pyra purpura. Neque tamen hoc exemplum alios gemina aufuros terruit. Anno nimirum clocclxxxvii. similis impostor decrepitæ æta- 1287. tis Lubecam veniens eadem de se ipso est mentitus, & primo clanculum agens, post, cum credulam pellexisset plebem, pro Imperatore Friderico publice sese gessit. Impositum equo novellum Cæsarem per urbem ducebat vulgus, tanquam verum Patriæ liberatorem & Augustum. Tandem Consulum unus (Henrico Steneken viro nomen erat) per legationes ad aulam Cæsaream de vultu & moribus Friderici penitus edoctus, veritatem, seu scelus potius, prudenter expiscatus est. Hinc misellus Pseudo-Fridericus fuga sibi consulens terrarum nuspiam apparuit.

§. II. Eo ipso anno Vandalici Principes cum Lubecensibus foedus pacti sunt, de purganda latronibus provincia. Insignis quoque hic est annus absoluto quatuordecim molarum opere, quas pone cathedrale templum Senatus maximis impensis struxit. Sed quantas turbas dederit hæc molarum structura, mox sequetur.

§. III. Sequentis clocclxxxviii. anni autumnus 1288. fatalis est Lubecæ, & nigro lapillo notandus. Nam circa festum Michaelis multa millia hominum in aqua, quæ lacus vocatur, prope civitatem Lubecensem, cum omnibus quæ habebant simul cum navibus miserabiliter per nimiam vim ventorum submersa sunt. Verba sunt Auctoris additionum ad Lambertum Schafnaburgensem, quem pro Monacho Erfurtenensi vulgo habent, & in editione Scriptorum Germanicorum Pistoriana comparet. Idem testantur verba Monachi Saxonis, quæ ex ejusdem MS. Chronico Heidelbergæ invento, Marquardus Freherus Originum Palatin. parte II. cap. XX. annotavit: *Anno Christi clocclxxxviii. Rudolphi Regis tempore facta est maxima aquarum inundatio, qua major non fuerat visa a vi-*

ventibus, Heidelberg multi sunt submersi, & eodem anno civitas incensa est. In Trajecto superiore in processione solenni fractus est pons, & plus quam trecenti homines submersi sunt. Simile contigit Francofurtie in ponte Mogoni. Ratisbona etiam cathedralis ecclesia totaliter combusta est. Et Lubeca similiter die Sancti Barnabe. At observandum, confundere Monachum praesentem, de qua loquimur, aquarum inundationem cum incendio, quod ante annos duodecim patriam consumpsit.

§. IV. Foedus quidem erat Lubecensibus cum Principibus Vandaliæ, quod vellent extirpare latrones, eorumque latibula: nihilominus tamen Albertus Saxoniarum Dux, toties licet eo nomine imploratus ut prohiberet suis, ne infestarent mercatores Lubeca Hamburgum iter facientes, vel noluit, vel non potuit commode in reos animadvertere. Itaque Lubecenses Mecklenburgicis, Rostochiensium quoque & Wismariensium militibus associati anno 1290 c1000c. Saxoniam armis aggrediuntur, vi paraturi, quod ab Alberto obtinere non potuerant. Steinburgo condito castello, penetrant usque Raceburgum, & Albertum de tradendis sive puniendis noxiis admonent. Dux a militibus sibi timens, civibus nostris diruendarum latebrarum facit copiam. Inde ductum in latrones, eorundemque castella Walrovv, Klockstorpe, Dusovv, aliaque funditus everfa sunt.

§. V. Exin stabilis fuit inter Albertum Principem 1291. ac Lubecenses concordia, annoque proximo Albertus nostris Wakenissæ ejusque lacus piscaturam pro MMCLXXXII. marcis vendidit: sic tamen, ut insuper conjugii suæ cc. Senatoribus consiliariis vero XL. solidorum marcas solverent.

1293. §. VI. Annus c1000ciii. Canonicis & Clero iterum infestus fuit, propria licet ipsorum culpa. De molis nuper exstructis litem movebant civitati, repetentes illas sub dominium suum, utpote suo sitas territorio. Cum nollet Senatus illas eis cedere, Burchardus Episcopo.

scopus expeditus erat suo anathemate, omnemq; urbe
cultus divini administrationem amovebat. Pontifex ipse
in persona curiam adiit Romanam, ibique per annos quatuor
constitit, pro ecclesia sua viriliter decertans: gloriose tum, licet
sumptuose & laboriose triumphavit in causa. Krantzius Me-
trop. l. VIII.

§. VII. Lubecenses, renovato cum Principibus Van-
dalicis foedere, anno clcccxcvi. miserunt præfectum 1296.
Nicolaum Lindovium, cum selecta equitum manu, ut
Vandalicos prædones coerceret, itineribus publicis in-
fidiantes. Hic ignarus viarum accepit ductorem, qui
ipsum duceret in hostes. Verum ductor ille duplex animo,
vir totus nequam, uti audit Krantzio, rupta fide, quam de-
derat, Lindovium una cum sociis prodidit prædonibus,
qui miserum cum fratre & XVI. suis militibus interne-
cioni dederunt, adeo ut nullus aufugerit.

§. VIII. Anno clcccxcix. nova Episcopo Burchardo 1299.
cum civitate Lubeca intercedebat contentio de agris a-
liquot & pratis in veteri, quam vocant, Lubeca sitis.
Quemadmodum semper fecerat, ita etiam nunc in re-
nuentem urbem anathematis fulmen vibrabat. Non fe-
rebant cives, quibus adhærebant monachi, excommu-
nicationem eo, quo priorem, animo, sed plebs furibun-
da elapsa urbe prædium Episcopale Kalten-Hoff flam-
mis dabat, eodemq; reversa in urbem furore. Canonico-
rum turba exesse civitate iussa, curias eorum destruebat.
Tum Burchardus vindictâ de temerariis, uti hoc ipsi vi-
sum, ecclesiasticæ poenæ contemtoribus sumpturus, Ot-
tonem Ducem Luneburgensem in auxilium vocabat.
Qui cum opem esset pollicitus Episcopo contra Lube-
censes, cives nostri portam arcis confinem turribus fir-
marunt, ut hostium insultibus repellendis sufficeret.

§. IX. Novum Imperiale munus Lubecæ mex ab Al-
berto Germaniæ Rege est concessum sequenti anno cl. 1300.
ccc. cudendi scilicet florenos liliatos, qua dignitate
gaudent præter Lubecam Florentia & Mantua.

F I N I S,

Per-

ak
Tn
3880

PERSEQVERIS PATRIÆ laudes; laudesque mereris,
Ingenii dotes naviter arte probans.
Haud mihi sic pridem, NATALIA festa paranti
MARTYRII PROCERVVM, carmina docta litas.
Elogiis igitur rursum conamina laudem?
Non laudo: ne laus esse putetur amor.
At totus sileam? sileant & siccine laudes?
Non puto: nam laudes pagina cuncta refert.

*Mellitissimi mei MELLENI
praclarissimis conatibus denuo applaudo*
P R Æ S E S.

MELLENVVM mellita probant Lubecensia scripta.
Perstet MELLENO mel sine felle precor!

*CL. DN. MELLENO
extemporaneo & deformi carmine, conformi
tamen mente votum hoc adnectit*

JOHANNES OVERBECKE.

TE sua, MELLENI, Pallas arte
Reddit insignem, ingenii & facultas
Occupat perrara; laborque pigro
segregat orbe.
Quas modis dignis celebrare laudes,
Dona, Doctrinamque Tuam stupendam
Nolle largiri mihi jam videtur
Carminis auctor.

Hæc canant ergo meliore vena
Præditi. Nos interea precamur
Hisce præclaris animi brabeja
Dotibus ampla.

SALOMON SCHVBARTH.
Lubecensis.



Q. K. 403, 12.

LV

AI
AI

CASI

JA

AI³



DIA
NSIS

XXVII.

CC.

TARIO

LEN

LXXVIII.

